DE HYDROPUM DIAGNOSI

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
CONSENSU ET AUCTORITATE
IN UNIVERSITATE LITTERARIA BEROLINENSI
PRO SUMMIS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS
RITE CAPESSENDIS
PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

JOANNES HENRIC. KRUGMANN
SOLDINENSIS NEOMARCHICUS

DIE XXVII. M. JANUARII A. MDCCCXX

H. L. Q. S.

BEROLINI. TYPIS TH. BRÜSCHCKE.

VIRO

PERILLUSTRI EXCELLENTISSIMO EXPERIENTISSIMO

C. GUIL. HUFELAND

MEDICINAE DOCTORI ET PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO, INSTITUTI POLICLINICI UNIVERSITATIS DIRECTORI, POTENTISSIMO BORUSSORUM REGI A CONSILIIS STATUS ET ARCHIATRO, ORDINIS AQUILAE RUBRAE CLASSIS SECUNDAE EQUITI, NOSODOCHII CARITATIS MEDICO PRIMARIO, ACADEMIAE REGIAE SCIENTIARUM BEROLINENSIS, SOCIETATIS MEDICAE PARISIENSIS, PETROPOLITANAE, MOSCOVITICAE, VENETAE, BRUXELLENSIS, HELVETICAE ALIARUMQUE SODALI

PRAECEPTORI

SUMMA PIETATE COLENDO

PATRONO

EGREGIE DE SE MERITO

HUNCCE LIBELLUM ACADEMICUM

GRATO ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Hydrops est collectio praeter naturalis humorum serosorum aut lymphaticorum, vel in cavernulis telae cellulosae, vel in antris naturalibus corporis humani, vel in sacco peculiari praeter naturam formato.

Cauaa proxima morbi est:

1mo. Secretio praeter naturam ancta, qua humores serosi lymphatici, effunduntur in cava atque spatia corporis.

Tam exhalatione aucta pororum systematis arteriosi aut venosi, quam suppressione haemorrhagiarum consuetarum, indeque orta nimia vasorum sanguiferorum repletioni, aut jactura sanguinis eaque de causa genita debilitate fibrarum, sanguis fit aquosus et tenuior, atque humor nimis aquosus per vasa exhalantia in cava corporis quantitate nimia exhalatur.

Huc pertinet potus nimius aquae tepidae, quia vasa excernentia secretione nimia debilitantur.

Porro, refluxus sanguinis per venas vi quadam mechanica impeditus.

Ruptione vasorum serum vel lympham ducentium. Bassius in dissertatione sua de languore lymphatico demonstrat, id fieri posse. „Ductus thoracicus, inquit, si propter nimiam repletionem rumpatur, liquor in cavitates thoracis et abdominis affunditur, et sic detumescunt partes exteriores, anasarca in asciten degenerat."

Sacci in hydrope saccato etiam rumpuntur vel eroduntur, sicut hydatides.

Exempla etiam adsunt, quibus ascites ruptione ureterum vel vesicae urinariae ortus est.

2do. Resorptio praeter naturam imminuta humorum in spatiis aut cavis effusorum.

Oppilatione vasorum resorbentium,

Glandulae vinum aut spiritum quantitate nimia bibentium, saepius inveniuntur obstructae, quod experientia Mascagnii docet, qui glandulas adeo invenit obstructas, ut humor immissus prius rumperet vasa ad glandulas tendentia, quam illas penetraret.

Crampo vel convulsionibus post refrigerium, acrimoniis specificis, debilitate vasorum lymphaticorum, eorumque habitu cartilagineo, uti Mascagnius adnotat.

Causae disponentes.

Atmosphaera humida, praecipue ad ripas fluviorum lacuumve, cellarum incolae vel domiciliorum humidorum, saepius huic morbo expositi sunt.

Sexus sequior quoque inclinat in hydropem, morbi graves, praecipue etiam febris intermittens.

Sanguinis, lymphae, seminis etc. jactura nimia.

Nervorum affectiones, rheumatismus, vita sedentaria, potus frigidus corpore calefacto, morbi exanthematici suppressi e. g. scabies, herpes, tinea etc.

Quod ad humorem, frequentissime est aquosus, serosus, flavus, si concutitur statim spumans, interdum magis luteus, subviridis, fuscus, odoris suburinosi morbo praecipue diutius durante, nonnunquam tenax, albumini ovorum non dissimilis, ita, ut vix e canali acus tricuspidatae effluere possit, interdum pseudomembranulis filisque polyposis mixtus, nonnunquam pus verum ab ulceribus internis, interdum sanguineus.

Symptomata generalia.

Volumen auctum, figura mutata, fluctuatio, status lentus partis, ita, ut post digiti pressum, fovea maneat, (hocce signum modo in oedemate invenitur) alvus tarda et dura, saepe quoque nimis laxa est.

Abnormitates organorum secernentium.

In organis morbosis secretio aucta est, in ceteris imminuta, qua de causa sitis nimia, siccitas oris, cutis pergamenea, urina parca, obscura, turbida, jumentosa, foetens, sedimentosa, concentrata, hoc symptoma tamen non semper reperitur in hydrope saccato, ex causis localibus orto.

Tumor sub initio mollis compressioni cedens, verum resiliens, latex a digito perculsus, fluctuat, totumque undosum efficit. Sin autem latex est tectus involucro densiori, aut est crassus, albumino-

sus, gelatinosus aut membranis intersectus, percul-sus latet.

Variae molestiae nimia extensione adductae, pallor, laxitas, somnolentia, inertia.

Caloris procreatio, motu musculorum interrupto nervorum efficacia, humorumque circulatione prohibita, diminuitur. inde frigus.

Hydropes dividuntur ex decursu, in acutos, subito orientes celeriterque decurrentes, et in chronicos, lentius orientes decurrentesque.

In acutis opus est saepius cura antiphlogistica, in chronicis contra, curatio varia adhibenda est, secundum causas diversas.

Porro dividuntur situ multiplice.

In hydropem universalem seu anasarca, seu leucophlegmatiam, intercutem, languorem lymphaticum, errorem lymphaticum, hyposarcidium, episarcidium, hydrosarca, catasarca.

Symptomata hujus haec sunt.

Aqua stagnat in cellulis subcutaneis; tumor mollis laxus, pallidus subfrigidus nascitur, a digiti impressione fovea remanet, sitis, somnolentia, inertia, urina parca, brunea instar cerevisiae, sudores pauci, oedama pedum, gravitas imprimis vespertina, impotentia musculorum corporis movendorum.

Provecto morbo, inflammationes, erysipelas, gangraena, sphacelus ex varia causa sequuntur, ab ictu decubitu, ex sola cutis tensione.

Gravidae saepe laborant oedemate pedum, labiorum, compressis fortasse venis saphenis, pudendis

externis. Puerperae etiam supra omne corpus anasarca laborant, interdum colore niveo, interdum humor lacteus, nonnunquam puriformis est.

In hydropes partiales. Eo pertinent:

Hydrocephalus externus.

Situm habet aut inter cutem et galeam aponeuroticam, hoc in statu tumor est mollis, absque dolore, pellucidus, impressione digiti fovea remanet, palpebrae tument, aut inter galeam et pericranium, aut inter hoc et cranium; tumor est durior, tensus tanquam bulla, dolorificus, nunquam palpebras afficit.

Hydrocephalus internus.

Sedem habet inter cranium et duram meningem, vel inter hanc et piam matrem, vel inter hanc et cerebrum, vel in cavis ipsis cerebri, hydroencephalum nominatum.

Ossa cranii hocce in morbo interdum adeo extenuantur, ut pellucida videantur, suturaeque hient.

Corpus reliquum lente, caput vehementer increscit, mydriasis deinde amaurosis efficitur, bulbi protruduntur, sopor adest, extremitates tument oedemate, pulsus parvus frequens et debilis, inordinatus est, tandem aeger moritur, lethargicus, vel inter convulsiones.

Hydrophthalmus.

Est hydrops bulbi.

Humores oculi aucti bulbum extendunt. Aegroti

primo tensionem in oculo cum dolore sentiunt, haec crescit, mydriasis efficitur, lente iris movetur, visus hebescit, bulbus prolabitur, palpebrae vix claudi possunt, epiphora adest, cilia bulbum excitant, inflammant atque exulcerant.

Hoc in statu morbus buphthalmos nominatur. Hydrophthalmus quoque spurius invenitur, aqua inter conjunctivam vel corneam haerente, vel sacco praeternaturali in parte posteriori oculi formato.

In cavitate quoque tympani et canalibus semicircularibus auris latex reperta est.

Ranula seu hydroglossum, Hypoglossis, Batrachus, Fröschlein.

Est tumor mollis, fluctuans, subalbidus vel subrubicundus, sub apice linguae, ortus ex debilitate corporis totius, obstructione ductuum salivalium, calculo, ictu vel pressione.

Hydrorhacchitis, seu hydrorrhachia, spina bifida. Frequenter cum hydroencephalo invenitur.

Est collectio morbosa humoris serosi seu lymphatici, in theca vertebrarum spinalium, interdum cum tumore externo, molli, hiantibus vertebris, cum frigore, lassitudine, tremoribus, paralysi, debilitate partium inferiorum, quia nervi harum partium oriuntur e medulla spinali. Provecto morbo, subsultus tendinum, convulsiones, dolor ad nucham, et ad spinae longitudinem adsunt, incontinentia urinae et alvi.

Medullam spinalem saepius deesse, observatum est, quae verisimile latice solvitur, attamen non-

unquam est fungosa, morbus ea de causa hernia
ıedullae spinalis appellari posset. Interdum arcus
ssei, apophyses spinosi desunt, praecipue in ver-
ebris lumborum.

Hydrops pectoris, seu hydrothorax, dividi-
ur in hydropem cavitatis pectoris.

Est collectio praeternaturalis humoris serosi vel
ymphatici in cavitate pectoris.

Symptomata pallor, facies livida, tussis sicca
einde cum sputo mucoso, dyspnoea, orthopnoea,
aemoptysis, palpitationes cordis, urina parca,
runea cum sedimento furfuraceo, lateritio; fluctua-
io in thorace difficile animadvertitur, ob partes os-
eas, et qua in re sensui aegroti non confidendum
st, decubitus difficilis, subita et spontanea ex somno
um cordis palpitatione excitatio, sicut Riverius in
raxi medica.

Libr. VII. Cap. 5. dicit.

„Quibus hoc unicum addere licet, tanquam pa-
ıognomonicum, et quo solo hydrops pectoris a cete-
s difficultatis respirandi speciebus distinguitur.
uomodo nimirum spirandi facultas primo quoque
mni tempore invadit, eumque intercipit, ac per
octem magis urget, procedente vero die sensim
ntescit."

Sed hoc signum non est certum, quia etiam
dicat morbum organicum cordis.

Pulsus vix sensibilis, inordinatus, intermittens,
terdum durus atque plenus.

Calamitas aegrorum crescit, pedes scrotumque tument uti manus una magis, bracchium idem saepe simul resolvitur imperfecte, crescit anxietas, extremitates algent.

Hydrops pulmonum.

Est collectio humoris in parenchymate pulmonum. Dyspnoea cum tussi, motu corporis aucto, pressoria angustia cum sensu ponderis a jugulo per medium thoracem. Inspiratio alta praegravatur. Dyspnoea aliquot tempus post, situ mutato aegroti cessat. Saepe oedema extremitatum et partium externarum, facies pallida, tumida, pulsus debilis, parvus interdum adeo oppressus, ut vix tactu percipiendus possit. Darvinus etiam sudorem partium superiorum corporis, signum indicat.

Hydrops pericardii.

Collectio est humoris serosi vel lymphatici in cavitate pericardii.

Aeger sentit dyspnoeam, orthopnoeam, dolorem lumborum; decubitus in dorsum difficilior, interdum respiratio cessat, sensus pressionis circa regionem cordis, ab exercitatione vel sermone auctus, sed quiete aut silentio mox minutus, palpitationes tremoresque cordis, livor palpebrarum, sitis, frigus extremitatum, tussis sicca, pulsus inaequalis, debilis, frequens obscurus, interdum durus, urina parca, rubra crassa, animi deliquia.

Hydrops pleurae.

Collectio praeternaturalis laticis, inter pleuram, ostas et musculos intercostales.

Cernitur et sentitur in exteris intumescentia edematosa et fluctuatio.

Hydrops mediastini.

Est collectio aquae in mediastinis cum tussi, yspnoea atque pondere gravi in media parte pectos, cum dolore decubituque difficili supino.

Hydrops ascites.

Aqua vel extra vel intra peritonaeum vel in mento mesenterio vel in visceribus et stagnare post. Tumor fluctuans ventris, ponderis sensu, locum utans secundum situm corporis, sitis nimia, urina arca, brunea, crassa.

Umbilicus summopere extensus, ac prae tenuitate ellucidus, prominet, Cutis valde sicca, partes corpris superiores macrescunt, conjuncta cum his spiratione difficili, quia thorax sublato diaphragate coarctatur, tussis sicca, oedema scroti, febris nta hectica.

Aqua in sacco praeternaturali etiam saepissime clusa invenitur.

Symptomata hujus hydropis saccati leviora sunt, ibitus corporis bonus longeque melior, quam in drope non saccato. Si saccus rumpitur a nimia iantitate aquae, saepe syncope sequitur, quia cirlatio sanguinis repente mutatur.

Hydrocele.

Collectio praeter naturam humoris serosi vel lymphatici tunicae vaginalis testiculi vel funiculi spermatici.

Si aqua sedem habet in tunica-vaginali testiculi, saccus sentitur mollis fluctuans, interdum durus, sine dolore, pellucidus, testiculus difficile sentitur.

Si tunica vaginalis funiculi spermatici aeque repleta est, tumor fluctuans usque ad annulum abdominalem sentitur.

Hydrops scroti.

Aqua sedem habet in tela cellulosa scroti. Tumor est mollis, haud elasticus, laevis, nitens, tensus, pellucidus praecipue aetate tenera, foveam a compressione sat diu retinens, ponderosus, si tamen augeatur aut sensibilitas partis hujus est nimia, cutis rubet ardet, dolet interdum gangraenam contrahit.

Hydrops uteri seu Hydrometra.

Collectio est praeter naturam in utero humoris.

In hypogastrio tumor sentitur sensim sensimque crescens, uteri figurae respondens, fluctuans, citra signa graviditatis. Aegrotis videtur, uterus prolabi. In exploratione uterus praegravem se praebet, si digito elevatur.

Hydrops ovarii.

Aqua situm habet in tela cellulosa ovarii. Tumor praecipue initio impar, crescente vero morbo,

cellulae rumpuntur, et saccum unum constituunt. Digito exploranti per vaginam aut intestinum rectum, in morbo jam provecto, tumor mobilis, haud elasticus, mollis, absque dolore et qui loco moveri potest animadvertitur.

Habitus in principio morbi bonus est.

Hydrops tubarum Fallopii.

Latex in tubis, initio tantum ab ascite discernendus, num laborent ovaria vel tubae vel ligamenta uteri, sectione tantum cadaveris evinci potest.

Hydrops labiorum pudendorum majorum.

Est tumor oedematosus pellucidus labiorum pudendorum màjorum.

Hydrops extremitatum.

Collectio praeternaturalis humorum serosorum aut lymphaticorum telae cellulosae extremitatum.

Hydrops articulorum seu hydarthon hydarthus seu lupia synovialis articuli. Collectio oedematosa humorum in capsulis atque receptaculis muci.

Capita ossium tumefacta sunt, motus artunm impeditus.

Tumor albus seu fungus articularis etiam huc pertinet.

Est collectio praeternaturalis liquoris glandularum artuum synovialium.

CURRICULUM VITAE

EX DECRETO

GRATIOSAE FACULTATIS MEDICAE

BEROLINENSIS

ADIECTUM.

Ego Joannes Henricus Krugmann, die decimo quarto mensis Martii anni millesimi septingentesimi nonagesimi tertii, Soldini Neomarchiae civitate, natus, baptemate confessioni Lutheri adscriptus sum.

Pater optimus, physicus in ista urbe, diem obiit supremum anno decimo septimo hujus saeculi.

Primis litterarum rudimentis imbutus sum Soldini usque ad annum aetatis meae undecimum.

Tum parentes carissimi me tradiderunt scholae Custrinensi, in qua per quinque annos, linguis antiquis et elementis litterarum, quae in scholis tradi solent, operam dedi. Anno millesimo octingentesimo nono Berolinum me contuli, et in gymnasio berolinensi coloniensi operam consecravi per biennium novemque menses. Deinde adscriptus sum numero

civium academicorum ordinis medici ab amplissimo de Savigny t. t. rectore magnifico.

Bello autem cum Francogallis orto, et ego breve per tempus duce de Kleist militavi.

Deinde vero, jussu patris, munus chirurgi in nosocomio castrensi suscepi per triennium.

Germania a tyrannis liberata, paceque facta, in patriam redux, iterum me Berolinum contuli.

Per totum vero studiorum meorum cursum, has audivi lectiones;

De chemia experimentali Cel: Turte, de botanice Cel: Hayne, de osteologia, syndesmologia, splanchnologia Ill: Knape, de anatomia tam universa quam organorum sensuum, nec minus de historia entozoorum Ill: Rudolphi, qui etiam Viri Ill: arte cadavera dissecandi in theatro anatomico me instituerunt.

Physiologiam tam generalem quam specialem et materiam medicam Cel: Osann mihi tradidit. In pathologia vero generali Cel: Fr: Hufeland praeceptore usus sum, in pharmacologia Cel: Link, unaque institutiones medicinae practicae Ill: Hufeland frequentavi, qui et ad scholas suas de therapia speciali discipulum sui studiosissimum me admisit.

Deinde pathologiam specialem atque therapiam morborum syphiliticorum Ill: Horn mihi exposuit.

Ophthalmiatrice, doctrina de angiektasiis, akiurgia, Ill: Graefe me instituit, artem vero obstetriciam tam theoreticam quam practicam ab Ill: de Siebold accepi.

Denique sub finem studiorum meorum ad praxin medicam exercendam per annum et sex menses in Policlinico Ill. Hufeland versatus sum. Iam vero tentanime examineque rigoroso feliciter absolutis, spero fore, ut defensa hac dissertatione, summi mihi concedantur medicinae et chirurgiae honores.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Discrimen certum diagnosticum inter hydropem uteri et graviditatem fere nullum adest.

II.

Hydrops non plane ad morbos chronicos referendus.

III.

Infectione febris contagiosae jam facta, medicus non eo studere debet, febrem supprimendi, sed potius eductionem materiae peccantis sublevandi.